

404

ZACHARIAS HERMANNUS

SS. THEOLOGIÆ DOCTOR, ECCLESIARUM ET SCHO-

LARUM AMPLISS: REIPUBLICÆ WRATISLAVIENSIS INSPECTOR

ET PASTOR PRIMARIUS.

Pio Lectori & literariæ Iuventuti in Salvatore Salutem.



OST tela mortifera, uti divinitus immissa, ita tandem cœlitus repressa, quibus strages aliquot centenorum abitu & obitu, paucis mensibus inter nos facta est, usitati *Iuventutis literaria congressus* rursus inchoantur, cum exoptatâ & exorâtâ occasione DEUM laudandi, illiq; supplicandi votis communibus, pro iis rebus, quibus salus publica & privata continetur. Plura enim & majora nos undiq; circumstant pericula, tum ab internis Europæ motibus, tum ab externis aliarum orbis partium, quàm aut securæ mentes cogitant, aut prudentiores etiam moderatioresq; animo cognoscere aut prævidere possunt. In horum ergò malorum publicorum, & quæ unicuiq; domestica sunt, consideratione, nulla res animos piorum tranquillare efficacius, erigere atq; sustentare firmius potest, quàm fiducia præsentis & auxilii divini & religiosa invocatio, quæ cœlorum secreta, hoc in primis luctuoso tempore perripit, justum & omnipotentem scelerum vindicem ligavit, & sagittas ejus veneno illitas, quasi scuto quodam feliciter excepit. Huic æterno & misericordi DEO commendamus res communes orbis Christiani, & *Patriam nostram Breslam*, cumq; oramus ut dissipet gentes quæ bella volunt, excubet ipse pro grege imbelli, contra furores Sathanæ & organorum hujus, odio DEI & Ecclesiæ rabiosè furentium, servet puritatem doctrinæ cœlestis, & honestarum artium studia, ut in tranquillitate pacis diu serviamus gloriæ ipsius, & utilitati commodisq; hominum. Ab his votis propterea initium cepimus, quia in *Pietatis* studio & doctrina mea est & vita & meta. Amabitis verò & vos *Pietatem*, si formam & decorem ejus penitus inspexeritis. *Pietas* est præsidium maximum, bonum optimum. *Pietas* est quæ omnia in se habet, & omnia assunt bona, quem penes est *Pietas*. Tolle hanc & excæcabitur animus, & facilis erit in vitia prolapsus. Quemadmodum autem *belli Dux* exercitum dissipatum, aut milites à *τάξῃ* aberrantes in stationem reducit, & in ordinem revocat, ac ad fortiter dimicandum majorem in modum graviter exhortatur: Ita mei est officii, *milites Scholasticos* propter timendam & tremendam irati & armati DEI faciem dispersos, in *auditorium Theologicum*, quod est ad D. *Elisabetham*, reducere, languentes excitare, & suâ sponte ardentis & erectos ad verum *Pietatis* decus sibi comparandum, subinde magis magisq; accendere & animare. *Pietatem* itaq; amate, cujus dotes ob multitudinem numerari, ob pulchritudinem æstimari, ob perennitatem corrumpi nequeunt. Sicut enim ipsa nec morbo, nec morti obnoxia est, ita nec dotes ejus. Moriantur omnes, consumantur omnia, *Pietas* est quæ mori quæ auferri nequit. Hic igitur nulli labori, nullis vigiliis parcendum est, sed incitato gradu properandum, usq; dum *Pietatis* fundamenta rectius perceperimus. Quia verò omnis laus virtutis in actione consistit; Ideò fruenda, non paranda solùm est *Pietas*. Dicere enim & non facere, non solùm lucri nihil, sed & damni plurimum affert. Adis solummodo nobis ô gloriosa & benedicta Trinitas, Pater, Fili, & Spiritus sancte, succurras & benedicas studiis nostris, *Fac, ut quæ svademus, ipsi primi faciamus*, & quia supremus es naturæ Moderator, καὶ πάσης τῆς σωτηρίας πηγὴ, largire salubritatem aëris, non appropinquet plaga tabernaculo nostro. Effunde iram in gentes, quæ te non noverunt, & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt. Conserva aliquandiu & proroga hanc miseram & caducam vitam, donec Ipse tanquam Imperator summus, quemlibet de statione suâ decedere jubeas. Audi hæc suspiria Domine & DEUS noster, audi lumen oculorum, audi quæ petimus & clementissimè exaudi. Conveniemus autè *die Iovis hora IX. loco antè dicto & consueto*, audituri *solidam illam & nervosam Stephani Protomartyris Apologiam*, quæ continetur in historiâ Apostolicâ Cap. VII. PP. Dom. Epiph. 2. A° exuberantis gratiæ MDCXIV.

19 Januarij

501
84006/9
berrimos sanctitatis fructus percipiant, nostræq; posteritati relinquunt. Illud audi & exaudi, ô Deus & Pater clementissime, ad nominis tui gloriam, Scholarumq; Uratislaviensium incrementum. P.P. Dominica Epiph. prima. Anno exuberantis gratiæ M. DC. XV.

1614 Jun 19

9

ALBERTUS HERMANNUS
THEOLOGICUS DOCTOR, ECCLESIAE ET SCHOLAE
LITTERARUM AMPLISSIMAE WERTHEIMENSIS INSPECTOR

ET PASTOR PAROCHIAE

IN ECCLESIA WERTHEIMENSIS

[Faint, mostly illegible Latin text, likely a preface or title page of a book.]



[Handwritten note or signature.]

[Faint Latin text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through.]

[Decorative border on the right edge of the page, featuring a repeating floral pattern.]